



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

6. Considerationes super vita alicujus sancti

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

solet S. Ecclesia, ab immaculata ipsius Conceptione usque ad gloriosam in cœlos Assumptionem, aut certo quodam ordine singulas illius considerando virtutes, aut denique expendendo Antiphonas, hymnos, Litanias, aut alias in honorem illius conscriptas sententias. Deinde reflecte te supra te ipsum, considerabisque quàm parùm tu imiteris hanc purissimam & sacratissimam Virginem, maximamque concipies confusionem, quod illius vestiaris habitu, illiusque glorieris te in ordine vivere, cujus vitæ tamen adeò parùm studueris hactenus vitam tuam conformare. Examinabis deinde causas, cur illam adeo parùm imitatus hactenus fueris, omninoque propones illius imitationi ferventius studere, & media ad id faciendum inquire, atque illa adhibere statues.

6. *Considerationes super vita alicujus Sancti.*

1. **C**onsiderare poteris insigniores illius virtutes, quas in hac vita exercuit.
2. Fidelitatem in mortificando semetipso, & in gratiæ divinæ correspondendo.
3. Quantum Deo ob insignia hæc exercitia placuerit.
4. Ingentia illa merita, quæ sibi in hoc mundo acquisivit, atque etiam amplissimam illam gloriam, quam obtinet modò in cœlis in suarum mortificationum atque operum bonorum remunerationem.
5. Quantum apud Deum valeat precibus suis & intercessionibus.

6. Dein-

6. Deinde reflectes supra teipsum, & proposita convenientia concipies. Poteris etiam (& quidem multò melius) particularem aliquam illius virtutem, aut aliquod ex illius exemplis, atque illud considerare eo modo, quo diximus cap. 6. ubi ostendimus quomodo in materiis intellectualibus dilatare te debeas.

7. *Considerationes super votis & Regulis Religionis.*

De votis. **M**odus meditandi de votis est omninò similis modo, quo quis meditari debet super aliqua virtute, adjungendo duntaxat strictas illas obligationes, quas habemus illa integrè & perfectè servandi. Verùm super *Regula, Constitutionibus & sanctis Religionis praxibus* considerabis:

Puncta meditationis circa Regulã alicujus Religionis, Pro Christo legatione fungimur.

2. Cor. 5.

20

1. Cor. 7.

10.

1. Illas non esse nobis præscriptas ab hominibus, sed ab ipso Deo, cujus hac in parte homines fuere vicarii, dicente Salvatore nostro: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Apostolus etiam primis Christianis aliquid præcipiens inquebat: *Præcipio non ego, sed Dominus.*

2. Illas esse efficacia média à Deo ad nostram prædestinationem ordinata, sine quibus periculum manifestum incurrimus in graviora vitia prolabendi, arque ita salutis nostræ discrimen adeundi.

3. Illas esse æstimatas, honoratas & ad amissim observatas à pluribus Ordinis nostri magnis sanctis, qui etiam illarum beneficio & observantiã sanctitatem amplissimam sunt consecuti.

4. Dei